

NUMMUS CASTRENSIS
 CUSUS A JACOBO IV. REGE
 SCOTIÆ, EXPEDITIONEM IN AN-
 gliam suscepturo. Anno Chri-
 sti 1513.



UO tempore Morinum & Tornacum Urbes in Henrici VIII. Anglorum Regis potestatem venêre, Scotorum Rex Jacobus ejus nominis Quartus, infestis copiis Angliæ fines invasit: futurum sperans, ut, dum *Gallia & Angliæ Reges inter se altercantur, utrumq; ipse contundat.* Ubi vero id Catharinæ Angliæ reginæ nunciatum est, mulier animumque gerens, curamque virilem, mirâ celeritate, contracto exercitu, infestis hastis, clypeis, armisque cum hoste concurrat, fuitque hâc pugna superior ipsa. Scoti ad Tilum amnem fusi fugatique sunt: permulti ex his cæsi. Periit eodem prælio Rex ipse Jacobus adhuc ætate florens, & cum eo nobiles plurimi. Tradunt quidam, venisse in Angliæ fines Scotum, ut in iisdem locis adversus Gallum belligerantem Henricum averteret, & ad regni sui defensionem revocaret, hoc pacto Gallorum regi Ludovico gratificaturus. *Gerardus de Roo: Hadrianus Barlandus.*